Christiani Risü Ao 97. d. 25. Junii

Sum Ch[illegible]
ad 1686. 3. 7bris.

vide Dreieri diss. c[on]t[ra] Pontificios de hac ma[teri]a Ao 1649. editam p. 831.

ACADEMICA EXPLICATIO

Dicti Paulini ad Gal. IV, 4. 5.

quam

Ex publicis prælectionibus, superiori annô sub feriis Natalitiis, extra ordinem institutis

à

Pl. Reverendo atq; Excellentissimo DN.

MARTINO SILVESTRO GRABE,

Theol. Lic. P. P. & p. t. Decano,

PATRONO ATQUE PRÆCEPTORE SUO, ÆVITERNO HONORIS CULTU PROSEQUENDO,

Privatô calamô excepit, atq; sub Ejusdem Præsidio

CUM DEO

CONSENSUQVE VENER. FACULTATIS THEOLOGICÆ

CHRISTIANUS METZELIUS,

Blanckenbergâ Schvvartzburgicus,

Publicæ & placidæ disquisitioni subjiciet

IN ALMA ALBERTINA

Ad diem 12/2 Martii in Auditorio Magno horis consvetis.

REGIOMONTI, cIↃ IↃc LXVI.

Typis FRID. REUSNERI SER. ELECT. BR. & ACAD. TYPOG.

ILLUSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO COMITI AC DOMINO,

DN. ALBERTO ANTONIO

Sacri Rom: Imperii Quatuor-Viro, Comiti in Schvvartzburg & Hohnstein, Dynastæ Arnstadii, Sondershusæ, Leutenbergæ, Lohræ & Clettenbergæ,

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO & NUTRITIO MUNIFICENTISSIMO.

ILLUSTRISSIME COMES, DOMINE GRATIOSISSIME,

HAut ita pridem Albertinæ nostræ Musæ annua sua Solemnia frequentarunt, ac NUTRITII sui auspicatissima genialia, interprete Nobilissimô juvenum pare, ex antiquissimis KALNEINIORUM & KREYTZIORUM prosapiis oriundo, omni, quâ par est, devotione ac animorum tripudiô concelebrarunt. Animum statim subibat memoria instantis Natalis mei NUTRITII, non minori pietate, subjectione ac lætitia recolendi. Gratulantur, nec immeritò, sibi Musæ illæ, de singulari supremi Numinis favore, dum eundem diem, VI. scil. Febr. styl. vet. Natalem quoque SERENISSIMI FILII, Electoratûs Heredis, esse voluit, eoque ipso festivitatis argumentum duplicari. Quod si non absimilem mihi congratulandi materiam suppetere scriberem, a vero minime abluderem. Cui enim ex genealogiarum codicibus non constat, & TIBI, ILLUSTRISSIME DOMINE, & *Generosissimæ* Sorori, SOPHIÆ JULIANÆ, *Dominæ Meæ Clementissimæ*, intra viginti quatuor horarum spatium, quò diem naturalem computare solemus, hujus lucis usuram cælitùs concessam esse. Solent illæ suis istis solemnitatibus in avitam progeniem SERENISSIMÆ DOMUS BRANDENBURGICÆ declamando digredi, eamque sive ex Italia, ab Heroicis Columniorum Majoribus; sive ex Germania, â bellicosis Bojorum Regibus; sive denique ex Gallia, â Dagoberto, illo Ecclesiarum Nutritio, Musarum Mecænate, pauperum Patre, per longam seriem arcessere. Quid vetat, quo minus & ILLUSTRISSIMI SCHVVARTZBURGICI COMITES de sua Teutonica antiquitate gloriari queant, eamque ignorantes omnem Germanorum historiam ignorare, summo jure pronuncient. Indubitatum hujus rei argumentum vel exinde petere licet, dum non solùm ad Ludos Equestres, horumque

præ-

præsertim primum, sub Heinrico Aucupe Imperatore celebratum, solenniter invitati, verùm etiam præ reliquis digni, quibus aliquando totius imperii Romano-Germanici Sceptra committerentur, communi Electorum suffragiô iudicati fuêre. Solent tandem Bregelanæ Musæ NUTRITII sui Virtutes, imprimis Regiam illam, Munificentiam, deprædicare, ejusque memores & reipsâ compotes in pia Vota pro æterna felicitate erumpere. his enim saltem beneficia compensare norunt Palladis Cultores. Quantæ semper ILLUSTRISSIMÆ DOMUS SCHVVARTZBURGENSIS Virutes, quantàve Eadem Munificientia erga Musas constanter fuerit, tot Stipendiarii & Alummi, in academiis hinc inde liberalissimè sustentati, me tacente proloquantur. Si ad beneficia meæ saltem tenuitati à TE, ILLUSTRISSIME DOMINE, à multis annis ad præsentem usque horã præstita, descendere vellem, exordium enumerationis citiùs, quàm exodium invenirem. Quid ergo aliud mihi quoq; restat, quàm ut in pia suspiria pro Tua incolumitate erumpam, atque juxta veterem Christianorum formulam Tibi ex animo optem *Vitam prolixã, imperium securum, domum tutã, Senatum fidelem, populum probum, & quæcunque hominis & Principis vota sunt.* Quò ipsô vale cum Illustrissima Conjuge, Matre, & Sororibus pancraticè, & chartaceum hoc munusculum, subjectissimam grati animi tesseram, serenissimâ fronte accipe

ab Illustrissimæ Tuæ
Generositatis

humillimo Cliente & Alumno

Christiano Metzeliô,

Ex Academia Albertinâ, quæ Regiomonti Prussorum est, die 2. Martii, Tuæ Illustr. Generos. Natali, Anno 1666.

B. C. D.

INter cætera Apostolica Dicta, quibus œconomia Servatoris nostri perspicuè juxtà ac perfectè proponitur, facilè primas tenet illud Pauli Gal. IV, 4. 5. ac proinde dignũ, quod non solùm ex ambone Ecclesiastico, more populari; verùm etiam ex Academica cathedra, plusculâ ἀκριβείᾳ pertractetur, atque piis disputationibus subjiciatur. Quantum igitur ex publicis Prælectionibus ab Excell. Dno Præside extra ordinem, appetentibus Natalitiis feriis, superiori annô institutis, assequi ac privatô calamo excipere licuit, tantum brevi hac dissertatione publico dare, atque placido examini subjicere animus est. Cui nostro conamini ut suprema Sapientia adsistat, nosque in salutiferam sui cognitionem perducat, intimis votis optamus!

Verba Textûs.

ΟΤε ἦλθε τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου, ἐξαπέστειλεν ὁ θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ, γενόμενον ἐκ γυναικὸς, γενόμενον ὑπὸ νόμου, ἵνα τοὺς ὑπὸ νόμον ἐξαγοράσῃ, ἵνα τὴν υἱοθεσίαν ἀπολάβωμεν.

Quæ Vulgatus in hunc modum vertit:

Ubi venit plenitudo temporis, misit DEus Filium suum, factum ex muliere, factum sub Lege; ut eos, qui sub Lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.

Hisce verbis Apostolus totum incarnationis seu Nativitatis Dominicæ mysterium clarissimè ob oculos ponit, idque sub phrasi Missionis, cujus notatur

1. Circumstantia temporis, quando contigerit, nim. ubi venit plenitudo temporis.
2. Persona mittens & Legans; quæ est DEus, Pater scilicet.

3. Persona missa & Legatus sive Apostolus, qui est Filius, secunda Deitatis Persona, quatenus in tempore ex muliere natus, & Legis subditus factus est.

4. Finis vel effectus & fructus, isque geminus, gemina beneficia commonstrans, quorum *alterum* Judæos potissimùm spectat, dum in veram illi libertatem asserti, & à legis jugo vindicati sunt; *alterum* autem omnes homines attinet: his siquidem plenarium filiorum jus, quô Protoplastorum noxâ exciderant, postliminiò restitutum fuit.

Hac brevi Paulinorum verborum analysi præmissâ, ipsius nunc, quem κατὰ πόδα sequemur, textûs explicationem suppeditamus.

§. I.

UBI VENIT PLENITUDO TEMPORIS) Plenitudinem temporis Apostolus ponit pro pleno tempore, ex more loquendi Hebræorum, qui rem plenam & perfectam per plenitudinem rei describunt: quo de videatur B. *Glassius* Gramm. S. Tract. I. Can. 8. unde & rectè *Theod. Beza*, per *plenum tempus* vertit. *Plenitudo temporis*, ait *Hilarius Diaconus Romanus*, comment. h. l. inter Opera Ambrosii, *est completum tempus, quod præfinitum fuerat à Deo Patre, quando mitteret Filium suum.* Præfinitum autem & definitum illud erat, in V. T. variis, tum Patriarcharum, tum Prophetarum, vaticiniis: & illorum qvidem luculentissimum est istud Jacobi Gen. XLIX, 10. horum verò illa Danielis cap. II, *32.* seqq. de ingente colosso à Nabuchdonosare somniante conspecto, & cap. IX, 24. seqq. de LXX. septimanis. De posteriori Danielis Prophetia sine dubio *Oecumenius* loquitur comment h. l. *Cujus temporis*, inquit, *venit plenitudo? Ejus dicit* (Apostolus) *temporis, quô oportebat venire Christum. Definitum n. fuit tempus Adventûs Christi à Daniele Propheta, quod finem accepit sub Cæsaris Augusti imperio, quando & in carne dispensatio Christi mei* (ἡ ἔνσαρκος οἰκονομία τοῦ χριστοῦ μου) *principium sumsit.* Alibi nostro Apostolo hoc temporis complementum vocatur οἰκονομία τοῦ

πλη-

πληρώματος τῶν καιρῶν, *dispensatio plenitudinis temporum*, Eph. I, 10. συντέλεια τῶν αἰώνων, *consummatio seculorum*, Heb. IX, 26. τὰ τέλη τῶν αἰώνων, *fines seculorum*, 1. Cor. X, 11. & Johanni ἐσχάτη ὥρα, *novissima hora*, 1. Epist. II, 18.

§. 2. Ad hanc temporis plenitudinem imprimis (Sibyllina n. carmina, aliaque hujusmodi studiò omittimus) referendum est Oraculum illud toto Oriente pervulgatum, de quodam ex Judæo orituro, qui rerum, h. e. imperii totius terrarum orbis, potiturus esset, sicuti ex gentilibus Scriptoribus annotant *Tacitus & Svetonius*. Ille quidem l. 5. Histor. excidium Hierosolymorum, idque ant egressam Judæorum pertinaciam & excœcationẽ describens, inter cætera cap. XIII. ita loquitur: *Pluribus persvasio inerat, antiquis Sacerdotum literis contineri, eò ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectiq; Judæâ rerum potirentur.* Hic autem in Vespasiano cap IV. *Percrebuerat*, inquit, *Oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judæâ profecti rerum potirentur.* Hæc illi. Atque ab hoc vaticinio Judæi occasionem rebellandi captabant: certò enim persvasi, temporis plenitudinem advenisse, & oracula prophetica, Messiæ adventum significantia, jam tũ impleta esse, Romanorum jugum excutere omni conatu studebant. Id quod laudati jam Historici commemorant: quamvis vaticinium illud ad Flavianum Vespasianum, Romanorum tunc temporis Imperatorem, ejusque filium, Titum Vespasianum, trahant, atque in eis completum esse pronuncient. *Id de Imperatore Romano*, ait Svetonius, *quantum eventu postea prædictum patuit, Judæi ad se trahentes rebellarunt.* Et Tacitus: *Quæ ambages* (ita vaticinium illud appellare mavult) *Vespasianum ac Titum prædixerant: sed vulgus, more humanæ cupidinis, sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne adversis quidem ad vera* (Taciti nim. persvasione) *mutabantur.* Idem ante hos testatur Judæorum scriptor *Josephus* l. 7. de bell. jud. c. 12. Vespasiano quo-

que adulans; atque ex eo *Eusebius* l. 3. Hist. Eccl. c. 8. Venisse igitur temporis plenitudinem, communis Judæorum tunc persvasio, nec fallax quidem, erat, adeo ut hodiernorum Apellarum malitiam dicam an cæcitatem, meritò deploremus, qui eandem adhuc instare somniant, & nostrum Servatorem minimè illum verum à Deo promissum Messiam esse, blasphemant.

§. 3. Cæterùm hîc è vestigio duæ quæstiones sese enodandas offerunt. 1. In quem mundi annū ea temporis plenitudo, de qua Apostolus loquitur, incidat. 2. Cur tam serô eadem acciderit; sive, quamobrem tantam oportuerit esse temporis intercapedinē à promissione Messiæ, post lapsum statim facta, usq; ad eundem, post tot seculorum decursus, in carne exhibitum. Quantum ad priorem, certum est, miram Chronologorum varietatem in assignando vero Nativitatis Dominicæ anno reperiri, adeo ut *Wolfius* cent. 1. Lect. Memorab. quadraginta ampliùs opiniones dinumeret. Nos computationem Josephi Scaligeri, ejusque vestigia prementis Sethi Calvisii, ceu accuratiorem hac vice sequentes, statuimus, illam temporis plenitudinem in annum ab orbe condito ter millesimum nongentesimum quadragesimum septimum (qui est secundus Olympiadis 194. & 750. Urbis conditæ) incidisse, atque ab eo anno 3947. usque ad præsentem præterfluxisse annos 1668. adeoque per insignem errorem Christianum orbem locô hujus numeri computare nunc annum 1666. Causa erroris hæc est: Christiani Romanæ Ecclesiæ ab initio sequebantur calculum, juxta annos suorum Imperatorum, aut indictionum (spatij 15. annorum) institutum; sicuti contrà Græci, partim ab Alexandri M. imperio, partim à mundo condito, numerabant. Sæpe etiam tam Romani quâm Græci numerô aureô, seu cyclo lunari (qui est 19. annorum, atque ab Anatolio Laodiceno, Diocletiani Imperatoris tempore, excogitatus) in signandis scriptis utebantur: (hinc *æra* illa *Diocletiana*, aliàs dicta *Martyrum* & *gratiæ æra*, item *Coptitarum*.) Alii denique nomen istius Imperato-

ris

ris, ceu crudelissimi Christianorum persecutioris, aversati, initium æræ ad Nativitatem Christi retraxêre, quos inter præcipuus fuit *Dionysius*, cognomine *Exiguus*, natione Scytha, Monachus professione Romanus. Hic Iustiniano imperante circa vulgatum A. C. 532. secundùm Sigebertum Gemblacensem, primus Christianos docuit numerare ab anno Nativitatis Christi. Qvum verò per calculi lapsum eam alligaret anno mundi 3949. sive quarto Olympiadis 194. quæ tamen in annum 3947. inciderat, uti diximus; hinc factum est, ut æra Christiana, quam vulgò adhibemus, & *Dionysianam* appellamus, posterior seu inferior sit verô Nativitatis Christi annô, & integro quidem biennio. Tantum de vero Nativitatis Christi anno. De mense ejusdem & die videantur *Baronius* in apparatu ad Annal. Eccles. circa finem, ejusque Epitomator, *Spondanus*, ibid. Item Compendium Historiæ Ecclesiasticæ, quod decretô Christianissimi Saxoniæ Ducis ERNESTI, ex optimis Autoribus concinnatum est, l. 2. c. 2. sect. 1. §. 7. pag 57. seqq. Et imprimis Programmata, quæ nomine Rectoris & Senatûs Academiæ Regiomontanæ, superioribus duabus feriis Natalitiis proposuit, atque ex omni Historia accuratissimè eruit Pl. Reverendus & Excellentissimus Dn. D. *Drejerus*, Venerandus Theologicæ Facultatis Senior.

§. 4. Ad posterius dubium, quamobrem scil. temporis illa plenitudo tamdiu prorogata, nec post lapsum statim Sospitator noster incarnatus fuerit, possemus respondere, & dicere cum *Arnobio* l. 2 adversus gentes, paulò ante finem: *Non imus inficias, nescire nos. Neq. n. promtum est cuiquam, Dei mentem videre, aut quibus modis ordinaverit res suas.* Possemus & dicere, quòd ita Deo placuerit, cujus judicia sunt incomprehensibilia & viæ inpervestigabiles, Rom. XI. 33. atque adeo, quòd liberrimè hunc, nec alium, temporis articulum decreverit. Quò spectant ejusdem Arnobii illa: *Si quod hodie factum est, ante millia fieri oportuisset annorum, fecisset istud Rex summus: aut, si post totidem millia id,*

ſi quod hodie factum eſt, debuiſſet impleri, nihil Deum cogebat, neceſſarias temporum non expectare menſuras. Rationibus fixis peraguntur res ejus, & quod ſemel decretum eſt fieri, nullâ poteſt novitate mutari. Si namque Deus tempus adventûs Filii ſui â nutu & placito hominum ſuſpendiſſe debuiſſet, nunquam obveniſſet, quia nunquam mortales in idem temporis momentum conſpiraſſent. Argutè in hanc rem *Jobius*, Monachus Græcus l.7. commentariorum cap.30. apud Photium in Myriobiblo cod.222. *Si nihil etiam*, inquit, *ab initio vetuiſſet*, (h. e. Verbi incarnationem non diſtuliſſet DEus) *ſalutis locò contentionum amantes homines ſic rurſum dubitaſſent: Cur non in fine, ſed in principio? aut cur non in medio temporum curſu, ſed in principio Verbum incarnatum eſt? Ita ſe mutuo quæſtiones ſecundum triplicem temporum differentiam torquentes.* Hæc ille. Atque hac datâ reſponſione poſſemus quæſtionem abrumpere, imò curioſiorem percunctatorem *contrà interrogare*, (verba Arnobii iterum noſtra faciamus) *quæ cauſa, quæ ratio eſt, ut non ſuis aliquando reddantur menſibus tempora, ſed ſerius hiems, ſerius æſtas atq; autumnitas fiant? Cur poſt meſſes arefactas atq; extincta frumenta nonnunquam decidant pluviæ, quas rebꝰ oportuit incolumibus labi, atq; temporis oportunitatibus miniſtrari?*

§. 5. Verum enim verò ne nihil planè rationum ſubeſſe putemus, ob quas DEus incarnationem verbi procraſtinaverit, paucis illas indicari non omnino abs re erit. Primo: Multa & magna myſteria in incarnatione Verbi latebant; quapropter conveniens erat, ut mortales per temporis intervallum, idque haut exiguum, debitè ad illa præpararentur, nec illotis, quod dicitur, manibus admitterentur. Si namque pagana gens ſua ſacra, quantumvis fœda & impia, non ſpectanda præbebat, niſi præparatis priùs & purgatis per ſolemnes luſtrationes, de quibus *Olympiodorus* comment. in Platonis Phædonem apud Caſaubonum Exercit. 16. n. 43. *Plutarchus* in Demetrio c.32. *Seneca* l. 7. quæſt. Nat. c. 30. *Theodoretus* de curandis Græcorum affectionibus l. 1. qui

eſt

est de fide, ante finem. Quantò æquius erat, non admitti mortales ad lustrandum ὁμολογουμένως *magnum* hoc *pietatis mysterium*, 1. Tim. III, ult. in quod & *Angeli prospicere desiderant*, 1. Pet. I, 12. Nisi longo temporis tractu ad illud præparatos excultosque. Nimirum præparandi antè erant, quàm Christus veniret, per legis pædagogiam, quò miseriam & peccata sua, â quibus salvandi erant, agnoscerent: *per legem enim cognitio peccati est*, Rom. III, 20. & *Lex Pædagogus noster fuit ad Christum, ut ex fide justificaremur*, *Gal. III, 24.*

Secundo: oportuit tantum mysterium variis priùs typis & figuris adumbrari, multis item vaticiniis ac prædictionibus commendari, quò homines, Christo adventante, cognoscere possent, illum ipsum esse verum & divinitus promissum Messiam, ac proinde eò majori reverentiâ exciperent. *Non horam dixit Servator* (scribit Augustinus tract. 31. in Joh. Tomo 9.) *quâ cogeretur mori, sed quâ dignaretur occidi: tempus enim expectabat, quo moreretur, quia & tempus expectare voluit, quô nasceretur. De hoc tempore Apostolus loquens ait: Cum autem venit plenitudo temporis, misit* DEus *Filium suum. Ideò multi dicunt, quare non antè venit Christus? Quibus respondendum est, quia nondum venerat plenitudo temporis, moderante illo, per quem facta sunt tempora; sciebat enim, quando venire deberet. Primò per multam seriem temporum & annorum prædicendus fuit: non enim aliquid parvum venturum fuit; diu fuerat prædicendus, semper tenendus. Quantò major judex veniebat, tanto præconum longior series præcedebat.*

Tertio: Ira DEI adversus peccatum, divinæque justitiæ severitas priùs manifestanda erat; quod factum est, quando ob protoplastorum peccatum homines puniit, & præsertim gentes suis ipsarum viis incedere sivit, sicut dicitur Act. XIV, 16.

Quarto: Quemadmodum medici non maximum statim medicamentum morbidis adferunt; sed quæ vim habent, morbum paulatim abigendi; ita & Deus, animarum Medicus, lenioribus antè

antè, contra ignorantiæ pariter ac nequitiæ morbos, per legem & Prophetas usus est; omnibus autem rebus ferè desperatis, potentiora demum per ipsum suum Filium adhibere voluit. Utitur hac similitudine *Jobius* l. c. *Theodoretus* l. 6. de cur. Græc. affect. circa fin. *Bernhardus* serm. 1. de Adventu Domini §. 9.

Quinto: *Leo M.* serm. 3. de Nativ. c. 4. hanc causam addit: *Sapientia & benignitas DEI hâc salutiferi operis morâ capaciores nos suæ vocationis effecit, ut tantò constantiorem in nobis gigneret fidem.*

Sexto: *Julianus Pomerius*, Archiepiscopus Toletanus in Hispania Seculô VII. l. 3. contra Judæos, inter Orthodoxographa f. 1053. mundi tempora cum sex ætatibus hominis μικροκόσμου comparans, inter cætera: *Quæ sit ratio*, inquit, *ut hac sextâ ætate* (senectute sc. mundi) *Christum nasci oporteret, studiose lector, addisce. Scilicet, ut quia sextò die fecerat hominem, sextâ etiam ætate seculi veniret ad humani generis reparationem.*

Septimo denique *Jobius* l. c. alias duas rationes adducit, quas sui ipsius verbis adscribere placet. *Adhæc ab initio Verbum incarnatum non modò quantam in fine temporum, adventu suo utilitatē non præbuisset, sed incitamentum potius Idololatris ad errorem judicatum fuisset. Nam si, cum Græci rerum potirentur, similibus affectionibus obnoxios homines* (ὁμοιοπαθεῖς ἀνθρώπους) *tam facilè in Dei evehebant dignitatem; quomodo scientes, in carne Verbum apparens tq. Deum celebrari, non statim inde fictorum à se Deorum exempla peterent, ijsque, qui conarentur ab hoc errore avellere, non promtissimè exprobrarent, illos ipsos, qui reprehenderent, hominem æquè pro Deo prædicare ac venerari. Propterea enim quo tempore Græci Deos fabricarent, Patris quoque unitas prædicata est.* Hactenus prior Jobij ratio, sequitur altera: *Ne item dicerent, Si distulisset, suis se viribus humanum genus salvare potuisset, atque ita summa gratia fuisset ingratis summum ingrati animi vitium.* Ita ille.

Ob has ergo & plures conjecturas, quas apud pios Patres reperire licet, non conveniens fuit, Filium DEI ab initio statim mundi

incar-

incarnari. Contrarias rationes proponit & solvit *Thomas* part. 3. Summæ quæst. 1. Art. 5. Sed nec conveniens fuit, eandem incarnationem differri usque ad finem mundi, similiter ob prægnantes causas, quas indicat idem *Thomas* Art. 6. & ex eo *Becanus* Theol. Scholast. part. 4. c. 1. quæst. 10. f. 809. quò interea brevitatis studiò, Lectorem remittimus, & ad sequentia nostræ Pericopes verba pergimus.

§. 6. MISIT) Ita Vulgatus, non satis expressè; in Græco enim non est ἔπεμψε, sed ἐξαπέστειλε, *emisit, vel potius legavit, nempe cum mandatis. nam id propriè sonat græca vox*, annotante *Erasmo* h. l. *Glossa interlinearis* interpretatur per *fecit visibilem hominibus*; & *Ordinaria* sive *Strabus Fuldensis*: *Missum intelligere debemus*, ait, *quando ex illo incomprehensibili inenarrabiliq; secreto majestatis profundæ dedit se comprehendendum mentibus nostris Dei Verbum, non solùm cum se exinaniret, sed etiam cum habitaret in nobis.* Utraque expositio eodem recidit, & fundata est illis Scripturæ locis: Joh. I, 14. I. Joh. I, 1. 2. 3. I. Tim. III. 16. Phil. II, 6. 7. 8. Hac missio uti in tempore contigit, ita certum est, antehac Filium Dei eo modo nunquam sese conspiciendum stitisse. *Quamvis enim* (sunt verba Leonis M. serm. 5. in Nativ. Dom. c. 4.) *etiam prioribus seculis ad illuminationem Sanctorum Patrum & Prophetarum lumen veritatis emissum sit, dicente David* (Psalm. XLIII, 3.) *Emitte lucem tuam & veritatem tuam; & diversis modis multisq; signis opera præsentiæ suæ Deitas Filii declaravit: omnes tamen illæ significationes cunctaq; miracula testimonia fuerunt illius missionis, de qua dicit Apostolus: Cum ergo venit plenitudo temporis, misit DEus Filium suum, natum ex muliere, factum sub lege. Quid verò hoc est, nisi Verbum carnem fieri? conditorē mundi per uterum virginis nasci? Dominum Majestatis humanis se coaptare primordiis?* Hæc Leo, rectè simul missionem per incarnationem exponens.

DEUS) sc. Pater: ab hoc n. se missū esse ipse Filius testatur Joh. VII, 28. *A me ipso non veni, sed est verus, qui misit me.* c. VIII, 42. *Ego*

ex Deo processi & veni; neq; n. à meipso veni, sed ille me misit. cap. X, 36: *quem Pater sanctificavit & misit in mundum.* Et noster Apostolus Rom. VIII, 3: *DEus misit Filium suum in similitudinem carnis peccati.* Ita v. missio hæc Patri attribuitur, ut ipse Filius & Spiritus S. ab ea non prorsus excludantur; opera n. ad extra, (quale quid missio hæc est) sunt individua & communia, juxta antiquam Patrum regulam.

FILIUM SUUM) scil. *Filium unigenitum, ex Patre natum ante omnia secula, Deum ex Deo, lumen de lumine; Deum verum de DEO vero; genitum, non factum; consubstantialem Patri; per quem omnia facta sunt,* prout ex Scriptura S. describitur à Patribus in Symbolo Niceno. Notanter Apostolus addit, *Suum,* de quo *Ambrosius* l. 1. de fide ad Gratianum Imp. c. 6. Tom. 2: *Filium,* inquit, *suum, non unum de multis, non communem; sed suum.* Quanta DEI erga genus humanum bonitas sit, quantumve rursum ipsi eo nomine nos debeamus, hinc manifestum est, & gratè agnoscendum. *Nisi enim ille fuisset missus, nemo nostrûm esset ab iniquitate dimissus,* ait eleganter Augustinus tract. 44 in Joh.

§. 7. Circa hæc verba duo addemus. 1. quæstionem enucleabimus. 2. Catholicam nostram fidem contra aliquot hæreses vindicabimus. Quæstio ejusmodi est: Cur Filius missus sive incarnatus est; non Pater aut Spiritus S.? *neq; enim sine altissimo Trinitatis consilio factum est, ut Filius adveniret,* ait S. *Bernhardus* serm. 1. de adventu Dom. § 2. eandem quæstionem proponens. Potissimas hujus consilii divini causas ex Scriptura & S. Patribus afferemus. (1) ut qui erat Filius DEI naturalis, nos efficeret ejusdem filios adoptivos. Indicat hanc causam Paulus in nostro textu, inquiens: *Misit DEUS Filium suum, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Excideramus enim jure filiationis & gratiâ DEI, & facti *naturâ filii iræ,* Eph. II, 3. Igitur congruum erat, ut restitueremur per gratiam adoptionis ab eo, qui erat Filius DEI naturalis. Hic *dedit potestatem filios DEI fieri his, qui credunt in nomine ejus,* Joh. I, 12.

(2) Con-

(2) Conveniens erat, ut per quem omnia facta sunt, per eundem omnia reficerentur, sive ut *Justinus Martyr* in expositione fidei loquitur, ut cujus erat ἡ κτίσις καὶ ἡ πλάσις, ejusdem etiam esset ἡ ἀνάκλισις καὶ ἀνάπλασις. Insinuatur hæc ratio Hebr. II, 10: *Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, autorem salutis eorum per passiones consummare.* Hinc *Athanasius* de incarnatione verbi Tom. I. fol. 44. *Causam*, inquit, *cur non oporteret alium quàm Dei Verbum hominem fieri, his verbis indicat Apostolus: Decebat enim eum* &c. *Verba autem ista hoc sibi volunt, non alterius fuisse à corruptione, quæ jam incubuerat, homines recipere, nisi DEI Verbi, qui eos ab initio condiderat.* Eandem rationem allegant *Augustinus* quæst. ex utroque mixtim, quæst. 113. Tom. 4. *Jobius* apud Photium cap. 9. *Damascenus* l. 4. Orth. fid. c. 4. *Raymundus Martini* pug. fid. *f.* 552.

(3.) Ut is qui Filius Dei erat ab æterno, fieret Filius hominis in tempore. Ita *Gennadius Massil.* l. de dogm. Eccles. c. 2. inter opera Augustini Tom. 3. *Non Pater carnem assumsit, neque Spiritus S.; sed Filius tantùm: ut qui erat in divinitate DEI Patris Filius, ipse fieret in homine hominis matris Filius, ne Filii nomen ad alterum transiret, qui non esset æternâ nativitate Filius.* Si namque Pater vel Spiritus S. factus esset Filius hominis, nomen quoque filii ad illos transiisset, atque sic duo Filii essent in Trinitate, alius sc. Filius DEI, & alius Filius hominis. Similia habent *Ferrandus Diaconus* parænet. reg. 4. *Alcuinus* l. 3. de Trin. c. 10. *Damascenus* l. c. *Nicetas* l. 2. Thesaur. c. 5. *Raymundus* f. 554.

(4) Conveniens erat, ut imaginem DEI, ad quam conditi eramus, quamque per lapsum Adæ amiseramus, restauraret is, qui erat Dei substantialis imago, Col. I, 15. Hebr. I, 3. In quam sententiam egregiè iterum *Athanasius* f. 52: *Non fuit ullius alterius opus exemplar imaginis divinæ hominibus restituere, nisi ejus, qui erat imago Patris.* Et f. 47: *Ut enim forma aliqua in tabulis depicta, sordibusque aliunde superinjectis obliterata, instaurari nequit, nisi ejus præ-*

sentia adhibeatur, ad cujus speciem primitus tabula depicta fuit: eodem modo bonus ille Patris Filius, imago & character Patris, ad regiones nostras profectus est, ut hominem ad sui similitudinem factũ denuò reficeret, & perditum condonatione peccatorum recuperaret.

(5) Homo per lapsum assimilatus erat jumentis insipientibus, Psalm. XLIX, 13. amiserat enim lucem salutiferæ cognitionis: congruum igitur erat, ut per filium, qui est λόγος, ratio & Sapientia Patris, illâ cognitione vicissim donaretur. Innuunt hanc rationem *Athanasius* f. 52. *Raymundus* f. 553. & *Jobius* cap. 1. cujus hæc sunt: *Quando Filius Verbum est, & homo verbò (λόγῳ) atque imagine Dei olim cohonestatus, hisce postea excidit, comparatusque est jumentis insipientibus, & similis factus est ipsis: propterea Verbum ad eos, qui in irrationabilitatem (εἰς ἀλογίαν) lapsi erant, accessit, ruinam nostram reparans, ac nos in pristinam dignitatem postliminio revocans. Verbum enim caro factum est, i. e. naturam nostram in irrationabilitatem prolapsam, & nihil jam intelligentiæ habentem, sed totam ad ea, quæ carnis sunt, inclinatam, assumsit.* Et cap. 17: *Ut rationalem partem ab irrationali in servitutem redactam, ipse rationale Verbum existens repararet, atque in libertatem restitueret.*

(6) et ultimò, ob mediationem, ut media videlicet persona in Trinitate mediatrix fieret inter DEUM & hominem.

§. 8. Hæreses, à quibus Catholica nostra fides hic vindicanda est, sequentes sunt, utpote 1. Sabelliani, distinctionem Personarum negantes. 2. Photiniani. 3. Ariani: Qui distinctionem Personarum negârunt, fuerunt seculô tertiô (1) *Praxeas*, qui *primus ex Asiâ hoc genus perversitatis intulit Romanæ humo*, ut diceret, *ipsum Patrem descendisse in Virginem, ipsum ex ea natum, ipsum passum, denique ipsum esse Jesum Christum*, sicuti testatur *Tertullianus* in principio libri peculiariter adversus eum scripti, & l. de præscript. extremo.

(2.) *Noëtus*, Ephesius patriâ, si Epiphanio credimus hæres. 57. ubi & de eo hoc scribit: *Ut Theodotus* (Byzantius coriarius seculo II.) *ad unum extremorum declinans, nudum hominem Christum*

ſtum eſſe diſſeruit: ſic ille ad aliud extremum desciscens, prorſus eundem eſſe Patrem, Filium & Spiritum S. in carne paſſum & natum ſtatuit.

(3) Noëti diſcipulus fuit *Sabellius*, Pentapolitanus Lybiæ, qui præceptoris dogma ita amplexus eſt & propagavit, ut eô celebrior extiterit, ac hæreſi nomen dederit, teſtibus *Philaſtriô* c. 54. & *Auguſtinô* hær. 41. *Theodoretus* l. 2. hæret. fab. c. 9. hæc de illo ſcribit: *Sabellius Afer Pentapolitanus hanc hæreſin inchoavit: Unam hypoſtaſin eſſe dixit Patrem & Filium & Spiritum S. & unam triplicis nominis perſonam, eundemque nunc ut Patrem vocat, nunc ut Filium, nunc ut Spiritum S. Ac in V. T. quidem ut Patrem, legem tuliſſe; in novo autem ut Filium, eſſe incarnatum; & ut Spiritum S. ad Apoſtolos veniſſe.*

Atque hi diſtinctionem divinarum Perſonarum negârunt, inde *Patripasſiani* & *Theopaſchitæ* quoq; dicti. Solidè autem & clarisſime ex noſtro textu convincuntur, quando Apoſtolus expresſam diſtinctionem facit inter Patrem mittentem, & Filium misſum: Mittentem autem & miſſum eſſe duas diſtinctas Perſonas, & circa tales misſionem propriè dictam verſari, apud omnes ſanæ mentis in confeſſo eſt. Valde proinde hoc argumentũ urſerunt Patres, utpote *Baſilius M.* lib. contra Sabellianos; *Epiphanius* l. c. *Chryſoſtomus* hom. 39. in Joh. *Athanaſius* orat. πρὸς τοὺς Σαβελλίζοντας.

§. 9. *Photiniani* ſeculo IV. à Photino, Sirmienſi in Pannonia Epiſcopo, dicti, Pauli Samoſatenſis dogma jam pridẽ extinctũ, ex orco revocârunt, ſtatuentes, Chriſtum ante Nativitatem ex Mariâ, planè non extitiſſe, nec aliquid amplius quàm nudum hominem fuiſſe, ſicuti teſtantur ſcriptores Hæreſium: *Philaſtrius* c. 64. ſeq. *Auguſtinus* c. 44. ſeq. *Theodoretus* l. 2. c. 8. ſeqq. *Epiphanius* hær. 71. *Honorius Auguſtodunenſis* c. 53. *Conſtantinus Harmenopolus* c. 6. Quorum hæreſin defendunt hodierni Sociniani.

Verum enim verô quomodo Apoſtolus h. l. dicere potuiſſet,

Deum misisse Filium suum, nisi hic prius extiterit, quàm mitteretur & ex muliere nasceretur. Non quia missus & natus est, dicitur DEI Filius; sed jam tum Filius Dei erat, quando mittebatur & nascebatur. Ut Filius Dei, fuit in cælo; posteà a. descendit & venit in hunc mundum, sicuti ipse multis in locis de se testatur, Joh. VI, 38. 41. 42. 50. 51. 58. 62. Cap. VIII, 42. & XVI, 28. Unde meritò hæresis hæc damnata fuit in Synodo Sirmiensi à trecentis amplius Patribus A. C. 357. Videantur *Socrates* l. 2. Hist. Eccl. c. 24. seq. *Sozomenus* l. 4. c. 5. *Tripartita*. l. 5. c. 5. seqq.

§. 10. *Arriani*, ab Ario, Alexandrino Presbytero, nominati, qui paulò ante Photinum docuit quidem, Christum priùs fuisse, quàm ex Maria nasceretur; imò ante omnia secula extitisse; attamen creatum esse, adeoque quoad essentiam & Deitatem minorem, sicut pluribus testantur præter allegatos hæresium scriptores *Theodoretus* l. 1. c. 5. *Socrates* l. 1. c. 6.

Sed & hos textus noster validè refutat, dum Christus filius Dei appellatur. Is namque communi omnium notione & conceptu filius dicitur, qui est ejusdem essentiæ & naturæ cum patre tq. causa. quæ enim aliàs à sua causa producuntur, nec participant de producentis natura, eô nomine nō possunt appellari, v. g. liber, domus, calceus, vestis, non dicuntur filius Autoris, architecti, sutoris, sartoris, nisi per insignem vocis ἀκυρολογίαν. At verò Christus h. l. dicitur expresse Filius Dei, & quidem alibi adhuc *proprius*, Rom. VIII, 32. *Verus*, 1. Joh. V, 20. *Unigenitus*, Joh. III, 16. 1. Joh. IV, 9. *æqualis Patri*, Joh. V, 18. Sicut porrò Christus rectè exinde colligitur verus homo ac ejusdem essentiæ cum hominibus, quia Filius hominis dicitur: Ita quoq; firmissimè creditur verus DEUS, & ejusdem cum DEO Patre essentiæ, quia Filius ejus dicitur. Hinc rectè *Cyrillus Alex.* dial. 5. de Trin. Tom. 2. *Nomen Filij*, inquit, *substantialiter à Patre genitum esse significat.* Et Epist. 1. supra med. Tom. 4. col. 10: *Quemadmodum homini, & unicuique animanti, proprium est, quod ex ipso secundum naturam natum*

tum est: ita proprium Dei est, quod ex ipsius essentia esse intelligitur ac dicitur. Huc quoque spectant illa Ambrosii, suprà § 6. citata: *Filium suum* (sc. misit Pater) *non unum de multis, non communem; sed suum. Suum a, cum dicit, generationis aeterna proprietatem signavit.* Hanc hæresin in Nicena Synodo Oecumenica I. damnatam esse, constat.

§. 11. Cæterùm obvertere solent Arriani ex hoc ipso textu, Christum Deô Patre minorem esse, eò quòd dicatur missus. Ad quam objectionem Respond. (1) negando consequentiam. Datur enim missio etiam inter æquales. v. g. in Aristocratia, si unus ex Optimatibus mitteretur ad alios, propterea tamen autoritate & dignitate minor esse haut quaquam cœpit. Inprimis ubi nulla coactio aut servilis obedientia intercedit, ita ut missus mittenti obedire cogatur, sed promtissimâ voluntate & consensu omnia peraguntur. Atque hoc modo Christum missum esse à Patre, ut tamen suâ spontè venerit, ipse de se testatur Psalm. XL, 7. 8. & Hebr. X, 7. 9: *Ecce Venio* &c. Joh. VIII, 42: *Ex Deo processi & veni in mundum.* Cap. XVI, 28: *Exivi à Patre & veni in mundum.* Imò tantum abest, ut missus semper minor sit mittente, ut contrà majores nonnunquam mittantur à minoribus: quod monet *Augustinus* tract. 21. in Joh. sub finem, hanc ipsam objectionem considerans. *Noli attendere,* inquit, *ad res humanas, ubi major videtur, qui mittit, & minor, qui mittitur: quanquam & ipsa res humana dicant contrà testimonium. Velut verbi gratiâ, si quis uxorem vellet petere, & per se non posset, amicum majorem mittit, qui ei petat. Et sunt multa, in quibus ipse major eligitur, qui mittatur à minore.*

(2) Missio hæc intelligenda non est de illa natura, quam ab æterno ante incarnationem habuit, h. e. divinâ; sed de ea, quam in tempore ex Maria virgine accepit Filius DEI. Hinc additur in textu: *Factum ex muliere.* Tradit hoc *Gregorius Naz.* Orat. 38. dicens: ἀπεστάλη μὲν, ἀλλ' ὡς ἄνθρωπος; *Missus quidem est, sed ut homo.* & Theodoretus in Zach. II. πέμπεται δὲ, ὡς ἄνθρωπος, τὴν ὑπὲρ

ὑμῶν

ὑμῶν οἰκονομίαν πληρῶν, ἐ τὴν θείαν φύσιν κατασμικρυνῶν; *Mittitur, ut homo, dispensationem pro nobis peragens, non divinam naturam extenuans.* Idem habet & comment. h. l. & cæteri Patres, tam Græci, quàm Latini, utpote *Athanasius* de sanctissima Deipara Tom. 1. f. 819. *Chrysostomus* hom. 102. Tom. 5. & Hom. 72. Tom. 6. *Gregorius Nyssenus* Orat. de Deitate Filii & Spiritûs S. circa medium, *Augustinus* l. 2. de Trin. c. 5. & l. 4. c. 19. seq. *Prosper* Sentent. 345. al. 347. *Cerealis Castalensis* l. contra Maxim. c. 3. Tom. 4. Bibl. patr. *Leo M.* serm. 5. de nativ. c. 4. *Fulgentius* l. 2. ad Monim. circa med. *Alcuinus* l. 3. de Trin. c. 4. Ex quibus Cerealis tantùm verba adscribimus: *Quomodo miserit Pater Filium, sic docetur: Missio Filii incarnatio est Filii; testificatur Apostolus Paulus, & quis missus, utrum Filius Dei, an Filius hominis, dicens: Misit Deus Filium suum, factum ex muliere. Ergo qui ex muliere factus est, ipse missus est.* Ita rectè occurritur objectioni Arianorum per verba, *factum ex muliere*, quæ nunc explicanda erunt.

§. 12. FACTUM) γενόμενον, â γίνομαι vel γίγνομαι. Biblia Regia legunt γεννώμενον, *natum*, â γεννάομαι: quam lectionem in quatuor Mscr. codicibus reperit *Beza*, & sequuntur Versiones Arabica, Æthiopica, & Germanica B. Lutheri; Item ex Patribus *Ireneus* l. 3. c. 18. *Augustinus* libro (si quidem is ejus est) de Trin. & unit. DEI c. 3. & 6. & l. 6. contra serm. Arianorum c. 6. *Cassianus* l. 6. de incarnat. c. 8. quamvis hic *factum* pro *nato* positum esse velit, *divini eloquii consuetudine*, ut loquitur, citans in hanc rem Psalm. XLV, 17. & Joh. VIII, 58. Priorem autem lectionem habent plurimi codices, & retinent ex Patribus Latinis, iterum *Irenæus* l. 3. c. 32. & l. 5. c. 21. *Tertullianus* l. de velandis virg. c. 6. & de carne Christi c. 20. al. 16. *Cyprianus* l. 2. adversus Judæos c. 7. edit. Basil. *Ambrosius* l. 1. de fide c. 6. & Epist. 32.. et serm. 5. in Psalm. 118. *Hilarius Rom.* h. l. *Hieronymus* & *Augustinus* multis, in locis. Ex Græcis *Chrysostomus*, *Theophylactus*, *Oecumenius* h. l. & plerique alij; item versiones Syriaca, Vulgata, cum Occidentalibus ferè omnibus. Et

sanè

sanè hæc lectio tum scripturam ipsam adstipulantem habet Rom. I, 3. Joh. I, 14. tum incarnationis mysterium meliùs exprimere videtur, judiciô *Tertulliani* l. c. de carne Christi, ubi ita ait: *Hoc quidem impressius, quòd factum potiùs dicit, quàm natum: Simplicius enim enunciasset, natum. Factum autem dicendo, & Verbum caro factum est, consignavit, & carnis veritatem ex virgine factam adseveravit.* Nec prætereunda est admonitio, quam *Ambrosius* l. c. de fide, tradit his verbis: *Edoctum est, Dei Filium de Deo esse genitum, de DEO natum. Factum autem in quo legerint, diligenter advertant. Non enim DEUS factus, sed DEUS DEI Filius natus est. Postea autem secundum carnem homo factus ex Maria est. Si mihi non credunt, credant Apostolo dicenti: postquam verò venit plenitudo &c.* Observari quoque merentur, quæ Scholastici tradunt, utpote *Lombardus* l. 3. sent. dist. 4. D. & *Thomas* comment. h. l.

§. 13. EX MULIERE) h. e. ex Maria Virgine Luc. I, 27. 34. Matth. I, 23. Esai. VII, 14. Mulieris enim vox h. l. non gradum sexûs fœminini, i. e. fœminam corruptam; sed sexûs saltem differentiam, quatenus nimirum masculino opponitur, Hebræorum more notat: nam Eva simul ac erat â Deo formata, nec ab Adamo cognita, mulier appellatur, Gen. II, 22. Observat hoc *Augustinus* l. 2. de Trin. c. 5: *Quo nomine quis Catholicus nesciat, non eum* (Apostolum Gal. IV.) *privationem virginitatis, sed differentiam sexûs Hebræo loquendi more significare voluisse.* Sic serm. 63. de verbis Domini, Tom. 10: *Proprietas locutionis Hebrææ mulieres non corruptas virginitate, sed & fœminas appellat.* Et ante Augustinum *Tertullianus* l. de vel. virg. capp. 4. 5. & 6. ubi inter cætera c. 5. probat, *proprietatem hujus vocabuli ad sexum ipsum, non ad gradum sexûs pertinere, quô communiter etiam virgines censeantur.* Loca Scripturæ, ubi hæc vox in illa significatione invenitur, singulari studiô collegit Cl. *Erasmus Schmid* not. ad Matth. I, 20. quem vide. Quin & apud JCtos hæc acceptio solemnis est: Ita namque *Ulpianus* L. 13. ff. de verb. signif. *Mulieris appellatione etiam virgo Viripotens continetur.*

§. *14*. Circa hæc verba rursum varia moveri & considerari possunt. *1*. quomodo Filius Dei factus sit ex Maria Virgine. 2. Cur ex Virgine nasci voluerit. 3. Hæreses nonnullæ redarguendæ. 4. doctrina de communicatione idiomatum demonstranda.

Quoad primum: constat aliunde, duplici viâ & ratione unam rem ex aliâ fieri; *primâ* per substantialem conversionem, sicuti aqua vinum facta est, Joh. II, 9. aut virga Aaronis coluber, Exod. VII, *10*. *Secundâ*, per assumtionem, sive unius naturæ ad aliam, accessionem & associationem; quomodo primus homo factus est anima vivens, Gen. II, 7. Et hac posteriori ratione Filius Dei factus est homo ex Maria Virgine, associando nimirum sibi humanam carnem. Quomodo rectè *LEO M.* epist. 23. scribit: *In ea plenitudine temporis, quæ sempiternô consiliô fuerat præstituta, & propheticâ dictorum atque gestorum significatione promissa, factus Filius hominis, non sua conversione substantiæ, sed nostra assumtione naturæ.*

§. *15*. Ad quæstionem, *cur Filius Dei factus s. natus sit ex Virgine*, Respondemus (*1*) cum Matthæo cap. I, 22: *Ut adimpleretur, quod dictum est à Domino per Prophetam* (Esai. VII, 14.) *dicentem: Ecce Virgo in utero habebit & pariet Filium.* (2) Sancti Patres alias rationes & meditationes habent. *Ignatius* Epist. ad Heronem p. 93. edit. Vossij, hanc affert: *Est admirabilis ac præter communem omnium opinionem partus Domini ex sola virgine, non quòd abominabilis sit legitima commixtio, sed ut divinam decebat Nativitatem: Decebat enim Creatorem non usitatâ uti generatione, sed gloriosâ & peregrinâ, ut creatorem*, ἀλλὰ τῇ παραδόξῳ καὶ ξένῃ γεννήσει, ὡς δημιουργῷ ἔπρεπε. *Tertullianus* l. de carne Christi cap. 17. aliam reddit: *In virginem adhuc Evam irrepserat verbum ædificatorium mortis: In virginem æquè introducendum erat Dei Verbum exstructorium vitæ, ut quod per ejusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem.* Rursus aliam assignat *LEO M.* serm. 2. in Nativ. c 3. his verbis: *Hoc ipsum, quod Christus nasci elegit ex virgine, nonne apparet, altissimæ fuisse rationis? ut scil. humano generi*

natam salutem Diabolus ignoraret, & Spiritali latente conceptu, quem non alium videret quàm alios, non aliter crederet natum esse quàm cæteros. —Verax namque misericordia Dei, cùm ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa suppeterent, hanc potissimum consulendi viam elegit, quâ ad destruendum opus Diaboli, non virtute uteretur potentiæ; sed ratione justitiæ. Nam superbia hostis antiqui non immeritò sibi in omnes homines jus tyrannicum vindicabat, nec indebitô dominatu premebat, quos â mandato Dei spontaneos in obsequium suæ voluntatis illexerat. Non itaque justè amitteret originalem dedititij generis servitutem, nisi de eo, quod subegerat, vinceretur. Quod ut fieret, sine virili semine editus est Christus ex virgine, quam non humanus coitus, sed Spiritus S. fœcundavit. —— Cap. 4: *Quum igitur misericors omnipotensque Salvator ita susceptionis humanæ moderaretur exordia, ut virtutem inseparabilis â suo homine Deitatis, per velamen nostræ infirmitatis absconderet, illusa est securi hostis astutia, qui nativitatem pueri, in salutem generis humani procreati, non aliter sibi, quàm omnium nascentiũ putavit obnoxiam &c.* Hæc docte & piè M. Leo. Ultimam rationem nobis suppeditare potest ex seculo XI. *Anshelmus Cantuariensis*, tract. *Cur DEUS homo*, l. 2. c. 8. Tom. 3. *Quatuor modis potest DEUS facere hominem: videlicet aut de viro, & de fœmina; sicut assiduus usus monstrat: aut nec de viro, nec de fœmina; sicut creavit Adã: aut de viro, sine fœmina; sicut fecit Evã: aut de fœmina, sine viro; quod nondũ fecit. Ut igitur hunc quoque modum probet suæ subjacere potestati, & ad hoc ipsum opus delatum esse, nihil convenientius, quàm ut de fœmina sine viro assumat illum hominem, quem quærimus.* Ita S. Patres.

§. 16. Quantum ad hæreses h. l. redarguendas, occurrit primò *Valentinus*, initiô seculi II. qui *Basilidis* hæresin secutus, inter alia negavit, Christum, ex muliere factum, veram humanam carnem assumsisse; sed sidereum corpus cœlitùs detulisse, atque per Mariam, tanquam per fistulam aut canalem, sine ulla ex illa assumta carne, transiisse somniavit. De quo videantur *Tertullianus* l. de

præscript. c. 49. & peculiari librô adversus Valentinianos; *Philastrius* c. 3. *Augustinus* c. 11. Valentini hæresin eodem seculo defenderunt *Cerdon*, *Marcion*, & *Apelles*, de quibus *Tertullianus* præscript. c. 51. item lib. de carne Christi, & quinque libris adversus Marcionem; *Augustinus* c. 21. seq. *Philastrius* c. 44. seqq.

Omnes hi hæretici clarissimè convincuntur à Paulo, dicente, Filium DEI *ex muliere* factum, quod realem participationem carnis humanæ ex muliere indicat; non *per mulierem*, quod transitoriam ortûs notionem significat. *Propterea non dixit, factum per mulierem, (διὰ γυναικὸς) ne existimes transitum (πάροδον) duntaxat factum fuisse per Dei matrem; sed ex muliere (ἐκ γυναικὸς) ostendens, Dominum ab ea corpus sumsisse*, ait rectè *Oecumenius* h. l. Quibus gemina habet *Theophylactus* ibid. *Hieronymus* quoque: *Diligenter*, inquit, *attendite, quod non dixeret, factum per mulierem; quod Marcion & cateræ hæreses volunt, quæ putativam Christi carnem simulant: sed, ex muliere; ut non per illam, sed ex illa natus esse credatur.* Hisce jungantur illa *Tertulliani* ex l. de carne Christi c. 20. ubi in hæreticos istos ita invehitur: *Qualis est tortuositas vestra, ut ipsam EX syllabam Præpositionis officio adscriptam auferre quæratis, & aliâ (*Præpositione scil. PER & IN*) magis uti, quæ in hac specie non invenitur penes scripturas sanctas. Per virginem dicitis natum, non ex virgine; & in vulva, non ex vulva. —— Sed & Paulus Grammaticis istis silentium imponit. Misit, inquit, Deus Filium suum factum ex muliere. Numquid per mulierem, aut in mulierem? Hoc quidem impressius, quòd factum potiùs dicit, quàm natum.* Reliqua superius, §. 12. citavimus.

§. 17. Secundô locô perstringendus est *Nestorius*, seculô V. Patriarcha Constantinopolitanus, qui Cerinthi hæresin reducens, alium esse Filium Dei, alium Filium Mariæ docuit, neque hunc, sed illum verum Deum esse: Unde nec B. virginem θεοτόκον, Deiparam, sed χριστοτόκον, Christiparam vocandã censuit. Vid. *Honorius* c. 80. *Harmenopolus* c. 7. *Theodoretus* l. 4. hæret. fab. extremo.

tremo; *Socrates* l. 7. Hist. c. 32. seqq. *Evagrius* l. 1. c. 2. seqq. *Tripartita* l. 12. c. 4. *Vincentius Lir.* commonitor. c. 37. *Cyrillus Alex.* l. de recta fide ad Theodosium Imperat. Tom. 3. Hæresin hanc manifestò confutat Paulus, dum de eodem numerô Filio Dei affirmat, quòd sit missus & ex muliere natus. Unde idem *Cyrillus* Epist. 1. Tom. 4. col. 9. *Ex duabus quidem rebus,* inquit, *divinitate videlicet & humanitate, indubitatò consistit Emanuel: unus tamen est Dominus Jesus Christus, unus etiam & verus Filius, Deus pariter & homo: non homo divinus, par illis, qui ex gratia sunt; sed potius Deus verus in humana forma propter nos manifestatus. Confirmat autem hoc nobis divinus quoque Paulus, dicens: Ubi venit plenitudo temporis* &c. *Quis tandem ille est, qui & sub legem missus, & ex muliere, ut inquit, factus est, nisi idem ipse qui ut Deus, suprà: ut v. homo quoque appellatur, sub legem factus est.* Hæc ille. Damnatus fuit Nestorius in Concilio Ephesino Oecumen III. in quo memorati Cyrilli doctrina & virtus cumprimis enituit, cujus anathematismi quoque communi calculô approbati & in actis concilij relati sunt.

§. 19. Tertiò tandem notandus est *Eutyches*, Archimandrita Constantinopolitanus, qui Nestorio sese opponens & unitatem personæ defendens, justò longiùs excurrit, & unitatem simul naturæ Christo attribuit, ita quidem, ut ante incarnationem duas naturas fuisse, sed post eandem in unam naturam coaluisse, & divinitatem in humanitatem mutatam esse statueret. Vid. *Evagrius* l. 1. c. 9. *Theodoretus* l. 4. hæret. fab. c. 13. *Flavianus, Patriarcha Constantinop.* epist. quæ extat inter epistolas Leonis M. post octavam, & in actis Concilii Chalcedonensis; *Vigilius* l. 1. contra Eutychen, initio. Sed & hujus hæreseos falsitatem innuit Apostolus h. l. quando Filium Dei non in mulieris naturam mutatum, sed factum s. natum saltem ex muliere asserit, quod per assumtionem factum esse, disertè alibi pronunciat, videlicet, Phil. II, 7. Hebr. II, 16. Unde meritò & Eutyches à Catholica Ecclesia damnatus fuit in Concilio Chalcedonensi, Oecumenico IV.

§. 19. Quod *communicationem idiomatum* attinet, novimus illam nihil aliud esse, quàm mutuam proprietatum utriusque naturæ participationem, ex unione personali ortam, propter quam proprietates & divinæ & humanæ rectè de persona prædicantur. Hujus prædicationis clarum exemplum suppeditat Paulus h. l. quando de Filio Dei humanum quid enunciat, nimirum, quòd sit factus *ex muliere:* ex muliere enim fieri s. nasci, hominis tantùm est. quam enunciationem repetit 1. Tim. III, ult. *DEUS manifestatus est in carne.* Humana item enunciantur de persona Filii Dei, quando dicitur: *Dominus gloriæ crucifixus est,* 1. Cor. II, 8. *Deus sangvine Ecclesiam acquisivit,* Act. XX, 28. *Deus assumtus est in gloria,* 1. Tim. III, ult. Sicuti contrà dantur exempla, ubi divinæ proprietates prædicantur de Christo-homiue. Ita de eo dicitur, quòd *novit omnia,* Joh. II, 24. *Scit, quid sit in homine,* v. 25. *Filius hominis est in cœlo,* Joh. III, 13. *Filius Mariæ est ante Abrahamum,* Joh. VIII, 58. Imò vi unionis personalis, contraria alioquin & per se pugnantia de eadem Persona prædicantur, v.g. *Esse Filium Abrahæ,* Matth. I, 1. &, *ante Abrahamum,* Joh. VIII, 58. *Esse ante Johannem,* &, *post Johannem,* Joh. I, 27. *Esse Filium Davidis,* &, *Dominum Davidis,* Matth. XXII, 42. seqq. Marc. XII, 35. seqq. *Esse Deo æqualem,* Joh. V, 18. Phil. II, 6. &, *Deô minorem,* Joh. XIV, 28. *Venire in mundum* Joh. XVI, 28. &, *Fuisse in mundo*, Joh. I. 10. *Vadere ex mundo atque eum relinquere,* Joh. XVI, 5. 28. &, *Esse in mundo omnibus diebus usque ad consummationem seculi,* Matth. ult. *omnia scire,* Joh. II, 24. &, *nescire diem judicij,* Marc. XIII, 32.

In omnibus hisce exemplis apparet, suppositum supponi, & Idiomata illa prædicari de tota Persona, licèt ea formaliter & essentialiter competant alterutri tantùm suppositi naturæ. quod probè observandum. Ita nasci ex muliere, pati, mori, de persona quidem Filij Dei rectè & propriè dicitur, interim tamen formaliter ad humanam tantùm ejus naturam, non deitatem, nativitas, passio, mors, restringenda est. Simili modô se res habet in aliis idio

idiomatum & humanorum & divinorum predicationibus, ubi semper subjectum limitari debet. id quod & ipsa scriptura indicat, quando ejusmodi restrictiones & limitationes disertè exprimit, atque partem suppositi specificat, utpote Rom. I, 3: *Filius Dei factus est ex semine David*, κατὰ σάρκα, *secundùm carnem*. 1. Pet. III, 18: *Mortificatus carne*. Act. II, 30: *suscitatus secundùm carnem*. Tantum & de communicatione idiomatum κατ' ἐξοχὴν ita dictâ, quæ vulgò primum Genus constituere solet. Pergimus ad reliqua textûs.

§. 20. FACTUM SUB LEGE) *Sub lege esse* in scripturis significat *vel* obligatum esse ad observationem legis Ceremonialis, totiusque Politiæ & Oeconomiæ Mosaicæ, quo sensu Gal. IV, 3. sumitur, ubi per *elementa mundi* lex intelligitur. *Vel* obnoxium esse legis moralis rigori, comminationibus & maledictionibus, ut Rom. VI, 14. 15. Gal. V, 18. Utroq; modo Christus factus est sub lege; sponte n. se non tm. ad observationem legis Mosaicæ universæ obligavit, quando ab incunabilis statim circumcidi, in infantia in templo offerri, in pueritia Hierosolymam adduci, in virili ætate judaicis festivitatibus interesse, & quæ reliqua legis fuerunt, ultrò subire voluit, ac pro nobis perfectissimam obedientiam in omnibus præstare; verùm etiam quando pœnis & maledictionibus, nostri causâ & locô se subjecit, *factus pro nobis maledictum* Gal. III, 13.

Dicat quis, quomodo Apostolus ait, Christum factum sub lege, cùm sit *Dominus legis*, Matth. XII, 8. *Resp.* Quicquid hoc in genere â Christo factum est, non ex conditione suæ naturæ, etiam quà humanæ, aut ex debito & necessaria obligatione; sed ex dispensatione factum, ut nimirum humilitatis exemplum nobis præberet; ut populo, in quo nasci dignatus est, quoad divina instituta se conformem gereret; ut tandem Legalis servitutis figuram in carne sua gerens, eos qui sub lege erant, redimeret, quod oppidò in pericope nostra subtexitur.

§. 21 UT EOS QVI SUB LEGE ERANT, REDIMERET] ἐξαγοράσῃ, *emercaretur*, solutô scil. pretiô, atque suos faceret: ea enim Græci verbi, quô peculiariter Apostolus h. l. utitur, emphasis est, ut significet, rem, quæ alterius erat, pretij commutatione suam facere, sibique vendicare. Redemit autem Christus Judæos (hi siquidem potissimùm sub lege erant) tum â jugo legum Mosaicarum ceremonialium, quorum primordium erat circumcisio, quam Servator ultimò in assumpta carne pati, atque sic abrogare

con-

constituit; Tum etiam â maledictione, legibus annexa, quando in cruce, sanguine pretiosissimô effusô, *animam suam in redemtionem dedit*, Matth. XX, 28. *& pro nobis maledictum factus* Gal. III, 13. Hac sin' a. *Christus nos redemit*, ut Diabolum omni jure, quod in homines per legi transgressionem, eique additam maledictionem acquisiverat, privaret, sibique illud, sanguinis pretiô solutô, vendicaret, ita ut nos imposterum illum solum, uti Redemtorem, ita & Dominum agnosceremus; ei soli in justitia & sanctitate serviremus; omni denique studiô caveremus, ne per nostra peccata pretium illud auro contra carum frustrà solutum fuerit. Subinde in auribus nostris sonet illa vox Petri 1. Epist. I, 18. 19: *Sciatis quòd non corruptibilibus &c.* In quæ verba piè venerabilis Doctor: *Quantò majus*, ait, *est pretium, quô redemti estis â corruptione vitæ carnalis, tantò ampliùs timere debetis, ne fortè ad corruptelam vitiorum revertendo, animum vestri Redemtoris offendatis.* Hæc Beda.

§.22. UT ADOPTIONEM ACCIPEREMUS.] i.e. plenariũ jus Filiorum Dei, quô tam per Protoplastorum prævaricationem, quàm per propria crimina excideramus, iterum adipisceremur: quod beneficium est Fidelium N. T. proprium, & ex parte saltem in V. T. per fidem in venturum Messiam obtigerat, quippe parvuli adhuc erant, sub tutoribus & curatoribus constituti, uti Apostolus noster in paulò antecedentibus loquitur. O felices ergo nos & beatos, quòd *potestatem nobis dederit, fieri Filios Dei*, Joh. I, 12. quòd *acceperimus Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamare possumus Abba, Pater*, Rom. VIII, 15. quòd factâ hac adoptione *miserit Deus ipsum Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem, Abba, Pater, ita ut non amplius sit servus, sed filius: Quòd si filius, & hæres DEI per Christum*, Gal. IV, 6. 7. (summam quoque *caritatem, quam dedit nobis Pater, ut Filii DEI nominemur*, 1. Joh. III, 1. Hanc paternam caritatem & ineffabilem benignitatem gratâ mente agnoscamus, & ut filios decet, ipsius voluntati conformes nos geramus, ne splendidissimum illud filiorum jus peccatis nostris denuo perdamus, adeoque æternæ servituti nos mancipemus, â qua unigenitus DEI Filius sanctissimâ suâ Nativitate ex muliere nos liberavit, pro qua ipsi unâ cum Patre & Spiritu Sancto sit laus, honor & gloria, in sempiterna secula.

Amen!